

mandato, posse per procuratorem opponi crimina in forma exceptionis, seu ad ipsas repellendas, tenet Glossa in d. Clem. 2, §. *In personam*, et Abbas ibid. n. 2; Imola § *Glossa, in personam*; Pirhing, h. t. n. 63.

95. *Casus plures referuntur, in quibus procurator procedere nequit absque speciali mandato.* — Quæritur V. Qui sint casus illi, in quibus procurator procedere nequit absque speciali mandato? Resp. Horum sunt plures, quos enumerat Glossa in d. c. *Qui ad agendum*, §. *Vel pacisci*, h. t. in 6, et Speculator, sive Durandus in *Speculo*, tit. *De Procuratore*, § 1, n. 4, ubi viginti quatuor tales casus allegat, quibus nonnulli alios, sed minus certos superaddunt. Ex his principaliores, magisque indubitati, sunt sequentes.

96. *Sic in matrimonio contrahendo debet procurator habere speciale mandatum; secus, in causis matrimonialibus.* — I. Procurator ad contrahendum matrimonium debet habere speciale mandatum: alias non censetur idoneus, text. clar. cap. ult. h. t. in 6. Dicitur notanter, « ad contrahendum matrimonium. » Alias enim in causis matrimonialibus, puta ad agendum super valore, vel nullitate matrimonii jam contracti, sufficit mandatum generale ad omnes causas notas, et movendas: eo quod causa matrimonialis etiam sit causa aliqua, ac proinde sub mandato illo generali recte comprehendatur, cum contrarium nullo jure reperitur cautum. Atque ita resolvit Rota decis. 25. *de Procurat.* in novis, quam citat et sequitur Sperellus, decis. 23, *Fori ecclesiast.* n. 14, allegans insuper Bellaniram decis. 5, n. 129 et seqq. qui ait Rotam semper amplexam esse hanc sententiam: quidquid in contrarium teneat Glossa c. *Qui ad agendum*, §. *Vel pacisci*, h. t. in 6, citans Vincentium, et quidam alii apud Sperellum cit. decis. 25, n. 4, in contrarium allegati. Cæterum quod procurator ad contrahendum matrimonium deputatus, nequeat absque speciali mandato substituere alium, jam dictum est supra n. 35 et 39.

97. *Requiritur etiam speciale mandatum in oppositione criminum, et appellatione contra electionem.* — II. Requiritur speciale mandatum, ut procurator possit opponere crimen, seu defectum contra personam electi, seu provisi, juxta proxime dicta n. 94. — III. Requiritur speciale mandatum, ut procurator ad appellandum contra electionem, postulationem aut provisionem alicujus, reputetur idoneus, c. *Procurator*, 38, *de Election.* in 6.

98. *Item in præstatione juramenti, ac de veritate dicenda.* — IV. Procurator ad lites non potest absque speciali mandato præstare juramentum calumniæ, arg. cap. ult. *de Jurament. calumn.* et Clem. 2, juncta Glossa §. *Jurandumque*, h. t. — V. Atque hoc ipsum esse dicendum de juramento de veritate dicenda, desumitur, ex cit. Clem. 2, et Glossa §. *Jurandumque*; Imola ibid. § 1.

99. *In deferendo juramentum ad decisionem litis.* — VI. Insuper procurator absque speciali mandato, vel nisi eidem administratio causæ sub clausula « Cum libera » fuerit concessa, nequit parti alteri deferre juramentum ad decisionem litis; prout constat ex c. *Qui ad agendum*, § fin. h. t. in 6, et l. *Jusjurandum quod*, 17, § fin. et l. *Jusjurandum et ad pecunias*, 34, § *Defensor*, ff. *de Jurejurand.*

100. *In transigendo, ac paciscendo de rebus domini sui.* — VII. Non potest etiam transigere absque speciali mandato, vel dicta libera potestate, cit. c. *Qui ad agendum*, § fin. et d. l. *Jusjurandum quod*, § fin. ff. *de Jurejurand.* Quod tamen limita, nisi sit datus procurator in rem suam. Similiter nequit procurator pacisci de rebus domini, seu principalis, absque ejusdem speciali mandato, vel libera potestate administrandi; cit. c. *Qui ad agendum*, § fin. h. t. in 6.

101. *In compromisso per procuratorem ineundo.* — VIII. Requiritur pariter speciale mandatum in compromisso per procuratorem ineundo, c. *Per tuas*, 9, *de Arbitris*, juncta Glossa ibid. §. *Generale mandatum*, cum concordantiis per eam adductis. Si tamen arbitrium ab utraque parte receptum fuerit, sive ratum haberi cœperit, valet, debetque executioni mandari, licet per generalem dumtaxat procuratorem factum fuerit compromissum: prout in cit. c. *Per tuas*, habetur decisum. Tunc enim ex mutuo partium consensu, et approbatione, vires suas acquirit.

102. *In impetratione rescripti ad lites.* — IX. Requiritur speciale mandatum in impetratione rescripti ad lites: nisi impetrans sit de conjunctis personis, in quibus non exigitur speciale mandatum, c. *Nonnulli*, 28, § *Sunt et alii*, et c. *Ex parte*, 33, *de Rescriptis*, § 2, n. 57 et seqq.

103. *Ac in petendo restitutionem in integrum.* — Tandem, et tacendo alios casus, de quibus Glossa, et Speculator, ubi supra, requiritur speciale mandatum ad petendam restitutionem in integrum, arg. *Coram feli-*

*cis*, 7, *De in integrum restitut.* ubi Glossa, §. *Mandatum*, et Abbas n. 4, et alii; concordat l. *Illud nullam*, § fin. ff. *de Minorib.*

104. *Quando videlicet petitur restitutio principaliter; secus, si solum incidenter.* — Intellege, quando restitutio petitur principaliter: ut si restitutio in integrum per se, atque ab ipsa ordiundo, petatur contra contractum, ex quo quis graviter sese læsum deprehendit; vel contra sententiam, quæ per lapsum decendii jam transiit in rem judicatam. Secus enim dicendum, quando restitutio in integrum incidit in causam, procuratori generaliter commissam: ut si ea sit petenda super certo dumtaxat articulo ante sententiam diffinitivam, v. g. ad proponendam exceptionem, vel probationem antea omissam, ex qua quis graviter læderetur; vel incontinenti post diffinitivam, aut intra decennium, antequam sententia transiit in rem judicatam, petatur. Quia tunc restitutio incidenter peti potest per procuratorem, qui litem fuit contestatus, absque alio speciali mandato. Glossa in c. *Suscitata*, §. *Postulavit*, et Abbas, ibid. n. 5, *De in integrum restitut.* Nam incidenter multa permittuntur, quæ alias non permitterentur: quinimo ratione incidentiæ ampliatur jurisdictio; ut c. *Causa*, 9, eod. et l. *Quoties*, C. *de Judiciis*, ubi judex potest incidenter de causa cognoscere, de qua non posset principaliter. Concordat c. *Prudentiam*, 21, § *Si vero, de Offic. delegat.* ubi delegati eandem jurisdictionem, quam in principali, exercent etiam in accessorio.

## § V.

## DE ALIIS EFFECTIBUS MANDATI PROCURATORII.

105. *Effectus mandati procuratorii, qui?* — Quæritur I. Qui sint effectus mandati procuratorii? Resp. I. Præter potestatem agendi nomine principalis, de qua proxime, potissimum sunt tres mandati procuratorii effectus, ad quos cæteri commode reducuntur.

106. *Ratum est, quod a procuratore vi mandati agitur.* — Primus est: Ut ratum sit, quod a procuratore vi mandati agitur. Nam factum procuratoris vi mandati, censetur factum domini, juxta reg. 72: juris in 6 « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum, » cum concordantiis.

107. *Procurator non præjudicat domino, si extra fines mandati quid egerit.* — Additur notanter, « vi mandati; » quia generaliter loquendo plus non potest procurator, quam

vi mandati sui fuit expressum, sibi que injunctum, ut enim l. *Diligenter*, ff. *Mandati*, dicitur: « Diligenter fines mandati custodiendi sunt: nam qui excessit, aliud quid facere videtur: et si susceptum non impleverit, tenetur. » Quod si igitur procurator fines mandati recte custodierit, et juxta illud processerit, ratum est, quod ab eo agitur, factumque ipsius domino suo prodest, vel nocet. Si vero extra fines mandati quid egerit, in eo non præjudicat domino suo, l. *Si procurator*, 10, C. h. t. Idque merito; tum, ne quis alieno facto oneretur, l. *In causæ*, 27, ff. h. t.; tum quia ejusmodi procurator fines mandati excedens, aliud quid facere censetur, quam sibi injunctum fuerat, cit. l. *Diligenter*.

108. *Procurator acquirit sibi actiones.* — Alter mandati procuratorii effectus est, quod procurator, dum ipsemet agit, seu verba in suam personam concipiendo contrahit (secus, si ut nudus minister domini interveniat, ejusque nomine contrahat), actiones atque obligationes sibi acquirat, quas deinde domino, seu principali suo cedere debet, arg. d. l. *In causæ*, § *Si ex parte*, ff. h. t.; Layman, cap. 1, § *Licet*, h. t. in 6, et l. III *Theolog. moral.* tract. IV, cap. xxvi, n. 14, post Molinam, tom. II, disp. 551, et alii.

109. *Fitque post litem contestatam dominus litis, et cur?* — Et hac ratione procurator per litis contestationem efficitur dominus litis, juxta cap. 1, § *Licet*, h. t. in 6, quando videlicet ipsemet agit, et non ut nudus minister intervenit: quia per litis contestationem partes inter se quasi contractum ineunt, sibi que mutuo obligantur, arg. l. *Licet prætor*, § *Idem scribit*, ff. *de Peculio*. Unde ulterius fit, quod talis procurator postea revocari invitus non possit, juxta dicenda n. 132 et seqq., simulque alium suo loco substituere valeat, ut dictum supra § 2. n. 33. Atque insuper sententia condemnatoria non contra dominum principalem, sed in ipsummet procuratorem concipi debeat, saltem secundum rigorem juris civilis, l. I, C. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.* de quo tamen plura, n. 115 et seqq.

110. *Actio mandati directa, seu competens domino contra procuratorem, sive mandatarium, quid importet?* — Tertius mandati procuratorii effectus, est duplex actio. Una dicitur « actio mandati directa, » quæ competit mandatori, sive domino principali contra procuratorem, seu mandatarium, ut hic ipsi



rationem reddere debeat omnium, quæ gessit: simulque ei procurator restituere teneatur, quidquid ex lite consecutus fuit, sive iuste, aut occasione negotii plausibiliter gestum debitum sit; sive injuste, hoc est per errorem, aut per injuriam iudicis, id consecutus fuerit. Textus est in l. *Qui proprio*, 46, § *Procurator*, ff. h. t.

111. *Actio mandati directa, seu competens domino contra procuratorem, sive mandatarium, quid importet?* — Insuper ex vi actionis mandati directæ, quam habet dominus contra procuratorem, manet iste domino suo obligatus ad compensandum omne damnum atque interesse, quod per dolum, culpam aut negligentiam ipsius domino suo illatum fuit; prout desumitur ex l. *Si procurator*, 10, et l. *Licet in popularibus*, 42, § *Ea obligatio*, C. h. t. et l. *Si procuratorem*, 8, § fin. ff. *Mandati*, et l. *Procuratorem*, C. eod. In quo postremo loco dicitur, quod procurator teneatur de culpabiliter gestis, et culpabiliter non gestis, quæ gerenda suscepit.

112. *Procurator an teneatur de levissima culpa?* — Accedit textus expressus in l. *A procuratore*, 13, C. *Mandati*, ubi juris auctoritate manifestum esse dicitur, « a procuratore dolum et omnem culpam, non etiam improvidum casum, præstandum esse. » Quod quidem Glossa ibid. § *Et omnem culpam*, ac alii intelligunt etiam de levissima culpa. Rationem dant, tum quia, qui dicit, « omnem culpam, » nullam omisit; tum quia, quod procurator teneatur de levissima culpa, mirum esse non debet propter tacitam assertionem industriæ suæ, cum procurator propter solam industriam eligatur; prout in additione ad cit. Glossam, argumentantur Cynus, Jac. de Aretio et Dynus.

113. *Actio mandati contraria, quid?* — Altera dicitur « actio mandati contraria. » Et hæc convenit procuratori contra dominum ad repetendas omnes expensas, quas occasione mandati sibi commissi, et cujus fines non excessit, bona fide fecit. Patet hoc ex cit. l. *Qui proprio*, § *Item contra*, ff. h. t. et c. *Cum pro causa*, 6, h. t. In quo posteriori loco Glossa, § *Propter hoc*, et Abbas ibid. n. 5, et alii, hoc intelligunt, tametsi negotium gestum non habuerit bonum exitum sine culpa procuratoris: ut quia in causa succubuit, aut aliud negotium bona fide, etsi inutiliter, gessit. Adhuc enim potest repetere omnes expensas, quas fecit occasione mandati sibi commissi, l. *Etiamsi*, 4, C. *Mandati*.

114. *Procurator quas expensas repetat a domino?* — Intellige, nisi culpa sua quædam expensæ factæ sint: hoc enim non repetit procurator, cit. l. *Etiamsi*. Sicut etiam poenam, quam ex suo delicto præstitit, is recuperare non debet. d. l. *Qui proprio*, § *Item contra*, ff. h. t.

115. *Spectato jure civili, verba sententiæ sunt concipienda in personam procuratoris præsentis.* — Quæritur II. An, ubi intervenit procurator, verba sententiæ condemnatoriæ concipienda sint in personam procuratoris præsentis, vel domini absentis? Resp. I. Spectato rigore juris civilis, ferenda est sententia in personam procuratoris. Patet hoc ex l. I, c. *de Sentent. et interlocut. omn. judic.* ubi hæc observantia adeo stricte exigitur, ut sententia illa dicatur ipso jure nulla, quæ fuit lata in personam domini, qui in iudicio nunquam fuit, et non in personam procuratoris. Accedit ratio: quia procurator per litis contestationem factus est dominus litis, cap. 1, § *Licet*, h. t. in 6. Atqui sententia est ferenda in dominum litis, non autem in illum, qui iudicio nunquam interfuit; ergo. Accedit, quod si dominus deberet condemnari, frustra procurator cogere- tur cavere de rato, et de iudicatum solvendo; prout tamen tenetur, conformiter dictis supra, § 4, n. 79 et seqq.

116. *Dummodo verba sententiæ recte in ejus personam concipi valeant.* — Intellige tamen cum Bartolo in cit. l. I, n. 1, C. *de Sent. et interlocut.*; Abbate in c. *Querelam*, n. 10, de *Election.* et aliis, dummodo verba sententiæ recte possint concipi in personam procuratoris. Dantur enim certæ causæ, in quibus tenor sententiæ non patitur, ut verba referantur ad procuratorem, et tunc haud dubie ea debent concipi in personam domini absentis: ut fit in causis matrimonialibus, ubi non potest procurator condemnari ad ducendam uxorem, vel reddendum ei debitum. Item in causis beneficialibus, ubi clericus est privandus beneficio: tali enim nequit privari procurator laicus, cum titulum in eo non habeat. Idem accidit in causis criminalibus, ubi venit imponenda poena relegationis, vel alia corporis afflictiva. Tacentur aliæ hujusmodi causæ, præsertim spirituales.

117. *Secundum canones non curatur hæc solemnitas juris civilis.* — Resp. II. Nihilominus Ecclesia non multum curat de illa solemnitate juris civilis; ut inquit Glossa in c. *Suscitata*, § *Monasterium*, de *in integrum restitut.* et Abbas in cit. c. *Querelam*, n. 1, de *Election.*

Unde secundum canones quandoque fertur sententia in personam procuratoris; ut in d. c. *Querelam*, de *Election.* et c. *Constitutus*, 6, de *Religio. domib.* et c. *Dilectus*, 2, de *Capellis monach.* Quandoque autem ea fertur in personam domini principalis; ut cit. c. *Suscitata*, de *in integrum restitut.* et c. *Licet causam*, de *Probationib.* et c. *Sopita*, 14, de *Censibus*.

118. *Est consultum, ut sententia concipiatur in personam utriusque, procuratoris nimirum et domini.* — Cæterum Glossa in cit. c. *Querelam*, § *Œconomi*, de *Elect.* et alia Glossa in d. l. I, C. *de Sentent. et interlocut.* consulunt, quod ad evitandum omne periculum, vel dubium, ac secundum consuetudinem formetur sententia in personam utriusque, domini videlicet et procuratoris; prout fit in c. *Inter dilectos*, 6, § fin. de *Fide instrument.* ibi: « Procuratorem tuum nomine tuo, et Medicolan. Ecclesiæ, sententialiter duximus absolvendum. »

119. *Procuratoris generalis negligentia, vel dolum nocet domino.* — Quæritur III. Utrum negligentia, vel dolum procuratoris noceat domino? Resp. I. Loquendo de procuratore generali omnium rerum, certum est, quod ejus factum, sive negligentia et dolum noceat domino. Patet hoc ex l. *Procuratoris*, ff. de *Tributor. action.* ubi dicitur, « Procuratoris scientiam, et dolum nocere debere domino. » Quem textum Glossa ibid. § *Procuratoris*, et Abbas in cap. 1, n. 16, *Ut lite non contestata*, etc. intelligunt de procuratore generali. Accedit ratio, quia sibi imputet dominus, quod negligentem, aut dolosum procuratorem, præsertim generalem omnium rerum suarum, constituerit, l. *Cum mandato*, ff. de *Minorib.* ipsique non melius invigilaverit. Quamquam per hoc non negetur, quin actio mandati directa competat domino contra procuratorem adeo negligentem, vel dolosum.

20. *Procuratoris specialis negligentia, vel dolum non præjudicat domino, si fines mandati excesserit.* — Resp. II. Loquendo de procuratore speciali, si is negligentia, vel dolo fines mandati excesserit, nullum exinde præjudicium domino infertur. Ita communis; idque patet ex l. *Si procurator*, C. h. t. cujus verba illico afferentur, et ex dictis supra, n. 107.

21. *Bene tamen, si fines mandati non excedat.* — Resp. III. Negligentia, vel factum procuratoris etiam specialis, qui fines mandati non excedit, præjudicat domino; quamvis, si quod fraude, dolo aut culpa procuratoris gestum fuerit, adversus eum competat

domino actio mandati directa ad recuperandum damna et interesse. Ita Glossa fin. in cap. 1, *Ut lite non contestata*, etc. et Abbas ibid. n. 15 et seqq.; Bartolus in l. un. n. 1 et seqq. ff. *Si quis jus dicenti*, etc.; Zoesius, h. t. ff. n. 22; Gailus l. I, *Practic. observat.* 45, n. 4 et seqq.; Engel, h. t. n. 17, et alii. Patet hoc, præter jura in progressu alleganda, ex l. *Si procurator*, C. h. t. ubi dicitur: « Si procurator ad unam speciem constitutus, officium mandati egressus est, id quod gessit, nullum domino præjudicium facere potuit. Quod si plenam potestatem agendi habuit, rem judicatam rescindi non oportet: cum si quid fraude vel dolo egerit, convenire eum more iudiciorum non prohibearis. » Hæc ibi. Quem textum Glossa marginalis ibidem ait esse valde notabilem ad hoc, quod dominus tenetur ratum habere id, quod factum est dolose per procuratorem.

22. *Afferuntur varia hujus exempla.* — Confirmatur, et probatur amplius conclusio inductione. Et quidem, quod negligentia procuratoris, qualis solet consistere in omittendo, in damnum redundet sui principalis, clare colligitur ex c. *Cum venissent*, 2, § *Nos igitur*, de *in integrum restitut.* ubi proin pontifex monasterium censet restituendum in integrum, ne ex tali procuratoris negligentia graviter lædatur. Sic enim, quando procurator est negligens in producendo testes, vel alias probationes intra terminum, nocet domino: sicut et, quando is post latam sententiam intra decem dies non appellat. Bartolus loc. cit. n. 2.

23. *Afferuntur varia hujus exempla.* — Deinde contumacia procuratoris, quæ pariter consistit in omittendo, seu quando is legitime citatus in iudicio comparere negligit, nocet domino quoad missionem in possessionem ex primo decreto; ut l. *Cum qui res*, C. h. t. et l. *Quoties*, C. de *Dignitat.* l. XII. Nocet etiam domino malitia, seu contumacia procuratoris sui responderi nolentis in causa appellationis, ita quod possit procedi in absentem perinde, ac si peremptorie dominus fuisset citatus, c. *Sæpe contingit*, 44, de *Appellat.* Ubi Glossa § *Responsalis*, inde pariter concludit, quod negligentia, sive dolum procuratoris, noceat domino. Quinimo, si dominus ratam habeat contumaciam sui procuratoris, aut eam sciens non purget, propter eam etiam poterit excommunicari, cap. 1, § fin. *Ut lite contestata*, etc. Sic enim per suum consensum, alienam culpam facit propriam.



124. *Afferuntur varia hujus exempla.* — *super*, quod etiam factum procuratoris prædicet domino, nisi fines mandati excedat: desumitur ex c. *Cum olim*; Abbas, 32, de *Offic. deleg.* et c. *Cum olim*, 7, de *Causa possess. et propriet.* et cit. l. *Si procurator*, C. h. t. cum similibus. Unde impetratio suspecti iudicis per procuratorem facta, præjudicat domino, adeo, ut hic eum amplius recusare non valeat, arg. c. *Cum Colim*, de *ausa possess. et propriet.*

25. *An etiam confessio, aut error procuratoris noceat domino.* — Rursus confessio, imo et error procuratoris, nocet domino; ut c. *Suborta*, 21, de *Sentent. et re iudicat.* et notat Glossa ibid. §. *Per confessionem*. Quod intellige, nisi dominus illam revocet, probando errorem sui procuratoris, arg. cap. ult. de *Confessis*, et notat Abbas in cit. cap. 1, n. 31, *Ut lite non contestata*; aut nisi procurator ultro, et absque ulla necessitate, fateatur intentionem actoris: nam confessio voluntarie, ac sine necessitate facta, censetur potius donatio seu renuntiatio juris, qualis sine speciali mandato per procuratorem fieri nequit; ac proinde talis confessio non nocet domino, arg. l. *Certum*, § *Sed an*, ff. de *Confessis*, et docet Abbas, ubi supra, n. 29. Sed de confessione procuratoris plura l. II, tit. XVIII, de *Confessis*, § 4, n. 90 et seqq.

126. *Quid dicendum de erroribus advocatorum?* — Cæterum loquendo de erroribus advocatorum, qui non sunt simul procuratores, jure certum est, quod error advocati suo clientulo non noceat, nisi is præsens fuerit, et in continenti (hoc est, intra triduum) non contradixerit, neque post sententiam appellaverit, l. ult. C. de *Errore advocat.* Nam si præsens erat suus clientulus, nec contradicebat, dicta ab advocatione perinde habenda sunt, ac si ab ipsis dominis litium dicerentur, l. I, C. eod.

127. *Notabilis objectio, ac declaratio conclusionis.* — Dices. In l. un. § *Si procurator*, ff. *Si quis ius dicenti*, etc. expresse dicitur: «Si procurator tuus, vel tutor, vel curator, jus dicenti non obtemperaverit, hoc edicto ipse punitur, non dominus, vel pupillus;» ergo contumacia procuratoris non videtur nocere domino. Accedit textus apertus in l. *Ignorantis*, 49, ff. h. t. ibi: «Ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri non debet.» Atque ut habet reg. 22: jur. in 6 «Non debet aliquis alterius odio prægravari.» Quin potius peccata suos auctores tenere de-

bent, c. *Quæsit*, De *his quæ fiunt a major. part. capit.* cum similibus; ergo. Resp. textum in cit. l. un. § *Si procurator*, et alia hujusmodi jura potissimum velle, quod negligentia, seu dolus procuratoris, non præjudicet domino quoad ea, quæ sunt extrinseca, seu non concernentia processum judicialem, ut puta quoad pœnam seu impositionem mulctæ, adeo, ut dominus principalis non sit puniendus ob culpam a suo procuratore commissam: non tamen negare, quin negligentia, vel dolus procuratoris noceat suo domino quoad ea, quæ recipiunt processum iudicii; prout volunt jura, n. 124 et seqq. allegata, et post Innocentium in cap. 1, *Ut lite non contestata*, etc. notant Abbas, ibid. n. 16, et Bartolus, ubi supra, n. 2, qui hanc materiam fusius declarant.

128. *Contra procuratorem negligentem, aut dolosum, competit domino actio mandati directa.* — Ad l. *Ignorantis*, et alios textus juris dicitur, hoc sufficienter salvari ex eo: quia contra procuratorem negligentem, aut fraude, dolo seu culpa sua quid indebitum gerentem, competit domino principali remedium ordinarium, videlicet actio mandati directa ad recuperandum damna et interesse; prout constat ex cit. l. *Si procurator*, 40, C. h. t. cum concordantiis supra n. 110 et 111 adductis, et notat Abbas loc. cit. n. 22; et Gailus l. I. *Practic. observat.* 44, n. 4, cum aliis. Atque ad hoc indicandum notanter n. 117 in conclusione additum fuit: «Quamvis si quid fraude, dolo aut culpa procuratoris.» etc.

129. *Et si procurator non est negligens solvendo, conceditur restitutio in integrum domino petenti.* — Quod si vero procurator negligens solvendo non sit, atque ideo dominus principalis damna et interesse ab eo via actionis recuperare nequeat; tunc restitutio in integrum domino petenti ex æquitate concedenda est, arg. l. *Et eleganter*, § *Si dolo*, ff. de *dolo malo*, et l. ult. § 1, ff. de *eo, per quem factum est*, etc. atque notat Glossa in c. *Cum venisset*, §. *Restitutumus*, De *in integrum restitut.*; Abbas ubi supra, n. 16; Gailus cit. observat. 44, num. 6, et alii. Siquidem restitutio in integrum ex quacumque justa causa conceditur, l. I. ff. *Ex quibus causis majores*, etc.

## § VI.

## DE CESSATIONE, AC REVOCATIONE OFFICII PROCURATORIS.

130. *Quinque potissimum modis finitur officium procuratoris.* I. *Revocatione.* II. *Renuntiatione.* — Quæritur I. Quibus modis generatim finiatur officium procuratoris? Resp. Potissimum quinque. I. *Revocatione.* II. *Renuntiatione*, sive mutuo consensu utriusque principalis, constituentis videlicet, et constituti procuratoris: sed de his duobus modis plura speciatim in progressu.

31. III. *Finita instantia iudicii.* *Procurator succumbens tenetur appellare, vel domino denunciare.* — III. Expirat officium procuratoris finita instantia iudicii: hoc est, post latam sententiam definitivam. Quamvis enim procurator, contra quem lata est sententia, possit et debeat ab ea appellare, vel saltem (si justa causa excusetur) tempestive domino denunciare, ut ipsemet ad beneficium appellationis convolare possit: nihilominus appellationem prosequi non tenetur invitus, sique tunc censetur expirare officium ipsius. Textus est in c. *Non injuste*, 14, h. t. et l. *In vitus*, 17, C. eod. atque amplius declarat Glossa ibidem.

132. IV. *Per mortem domini re integra.* — IV. Cessat officium et potestas procuratoris per mortem domini ipsum constituentis, si hic moriatur re integra: alias secus. Et desumitur hoc ex § *Recte*. Instit. *Mandati*. et l. *Inter causas*. § 1. ff. *Mandati*, ubi dicitur, quod morte mandantis re integra solvitur mandatum: si tamen propter ignorantiam mortis impletum est, quod mandabatur competit actio utilitatis, ne justa ignorantia culpam damnum afferat.

133. *Nisi dominus pro sciente et non contradicente procuratore caverit.* — Limitatur istud quoad priorem partem in casu, quo dominus adhuc vivens, sciente, et non contradicente procuratore, pro ipso cavit, seu satisdedit. Nam talis satisfactio facit, ut mandatum etiam re integra morte domini non finiatur: secus si sit facta pro ignorante, vel contradicente, per textum notabilem in l. *Si defunctus*, 15, ff. h. t. et notat Bartolus ibid. et Abbas c. *Mandato*, n. 6, h. t.

34. *Quod, si dominus moriatur re non integra?* — Limitatur idem quoad alteram partem in casu Clement. ult. h. t. ubi pontifex declarat, quod procurator a prælato, vel rectore, aut quocumque beneficiario, pro Ec-

clesia vel beneficio constitutus, per mortem constituentis revocetur etiam quoad negotia jam cœpta, sique re non existente integra. Ratio autem hujus specialitatis est, tum quia mortuo prælato vacat Sedes: atqui Sede vacante nihil debet innovari, cap. 1. *Ne Sede vacante*, etc., tum quia procurator, sive in sive extra iudicium, solum agit pro domino, ejusque nomine, l. I. ff. h. t. atqui in beneficiis non adest post mortem prælati, cujus nomine agat: siquidem per mortem prælati extinguitur titulus prælationis quoad effectum; neque est, in quem statim jure hæreditario titulus ejusmodi transeat: prout tamen fit in civilibus, ubi proin per hæredem cœpta negotia debent consummari, sique re non integra procurator nomine hæredis agere, seu administrare potest.

135. V. *Per mortem ipsiusmet procuratoris.* — V. Procuratoris officium finitur per mortem ipsiusmet procuratoris: sive dein res sit integra, l. *Si quis alicui*. § *Morte quoque*. ff. *Mandati*; sive desierit esse integra. Nam hoc officium non transit ad hæredes, cum videatur esse electa industria personæ. Pirhing h. t. n. 112. post Wessenbecium. ff. h. t. n. 11.

136. *Procurator tum judicialis, tum extrajudicialis, re integra libere a domino revocatur: secus re non integra, nisi subsit causa.* — Quæritur II. Utrum procurator semel constitutus, libere possit revocari, quibusque modis ejus revocatio fiat? Resp. I. Procurator tum judicialis, tum extrajudicialis, re integra libere a domino potest revocari: non item, postquam res desivit esse integra, sed tunc ad ejus revocationem requiritur justa et legitima causa. Ita in re communis. Et merito: nam re integra nihil interest procuratoris, quod revocetur; bene tamen, si res non amplius sit integra: quia tunc aut damnum pateretur ratione jam factarum expensarum, aut ob subsequentem revocationem periculum famæ incurreret.

137. *Procurator tum judicialis, tum extrajudicialis, re integra libere a domino revocatur: secus re non integra, nisi subsit causa.* — Id ipsum probatur inductione. Loquendo siquidem de procuratore judiciali, seu ad litem constituto, textus est expressus in c. *Quamvis*, 2, h. t. in 6. ubi decisum habetur, quod procurator ante litem contestatam, etiam sine causa, libere a dominio revocari possit; non item postea sine causa rationabili (nam per contestationem litem procurator fit dominus